



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 An substantia vt esse poßit immediata causa materialis accidentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

in ratione causæ. In contrarium vero est, quia esse quod resultat ex hac causalitate, non est esse simpliciter, sed secundum quid nimirum esse accidentale. Item productio, vel generatio accidentis, solum est productio, & generatio secundum quid. Vnio item formæ accidentalis cum subiecto, est tantum secundum quid, utpote accidentalis: sed actualis causalitas materialis consistit in ipsa actuali vnione, vel vnitione, quatenus à subiecto pendet, ergo causalitas hæc respectu accidentis est tantum secundum quid. Atq; ita dicendum est, causam materiale formaliter in ratione causæ analogicè de his causis dici, & principalis de causa substantiæ, materialiter vero rem, quæ causat accidentia, posse esse vel æque, vel magis perfectam. Id vero non satis est, ut in ratione causæ sit perfectior, etiam si per se ipsam intret compositionem totius compositi accidentalis, quia non est inde ratio causæ sumenda, sed ex actuali causalitate quam exhibet, & ex formali esse, quod inde confurgit.

SECTIO II.

An substantia ut sic esse possit immediata causa materialis accidentium.

DE hac causalitate formaliter sumpta, nihil aliud nobis dicendum superest: de fundamento verò talis causalitatis, & de potentia per quam causat, nonnulla dicere necesse est. Cum enim materialis causalitas consistat in receptione, duo ex parte causæ requiruntur, scilicet res quæ recipit, & potentia per quam recipit, quæ possunt vel re, vel ratione distingui. Supponimus autem ut per se notum ex dictis, substantiam esse quasi primum fundamentum, vel primam rem quæ causat materialiter accidentia, quia totus ordo accidentium imperfectus est, & insufficiens, ut in se subsistat: & ideo primum fundamentum, in quo accidentia nitantur, non potest esse aliquid accidens, sed debet esse substantia. Inquirimus ergo per quam potentiam substantia causat materialiter accidentia, an per potentiam accidentalem realiter, aut ex natura rei distinctam ab ipsa; an vero per se ipsam, seu per potentiam ratione tantum distinctam.

Tractatur prior opinio.

II. Quidam enim auctores sentiunt nullum accidens recipi in substantia, nisi media potentia accidentali perinente ad idem Prædicamentum. Ita sentiunt Soncinas 12. Metaph. q. 26. & lauel. qu. 3. qui dicunt esse in substantia potentiam receptiuam quantitatis, quæ reducitur ad Prædicamentum quantitatis, & aliam receptiuam qualitatis ad Prædicamentum qualitatis pertinentem, vel potius in superficie ipsa ait Soncinas, esse aliquid potentiale de genere coloris, ad recipiendum colorem, quidquid illud sit (inquit) puta Diaphaneitas, vel aliquid huiusmodi. Fundamentum eorum est dictum quoddam Aristotelis 12. Metaph. text. 26. eadem esse principia omnium generum. Quod Commentator exponit de identitate secundum Analogiam, nam quælibet res alicuius prædicamenti, habet illa tria principia, materiam, formam & priuationem, non tamen in omnibus prædicamentis sunt eadem, sed proportionalia. Hinc ergo colligunt, quod sicut in vnoquoque Prædicamento est propria forma, & propria priuatio, sic etiam fit propria potentia, constituens proximum materiale principium illius generis. Vnde recte concluditur, substantiam ut sic non posse esse principium proximum materiale alicuius accidentis.

III. Atq; hinc sumptum est illud axioma; *Potentia & actus sunt in eodem genere, quod à multis, ut primum in Franc. Suar. Metaph. Tom. I.*

Metaphysica principium, recipitur, ob dictum testimonium Aristotelis, cui addunt aliud Commentatoris 5. Phisic. comm. 9. *Potentiam ad vnumquodque Prædicamentum esse in illo genere Prædicamenti, in quo est actus: & 1. de Anim. Comm. 6. Potentiam & actum esse differentias, quæ contingunt omnibus Prædicamentis, & loquitur de potentia receptiua, nam tractat de anima quatenus est actus, & de potentia quæ illi responderet. Eodem principio vtitur Diuus Thomas sæpè, signatim 1. part. quæstion. 77. articul. 1. ubi inquit: Cum potentia & actus diuidant ens, & quodlibet genus entis, oportet, quod ad idem genus referantur potentia, & actus: & ideo si actus non est in genere substantie, potentia quæ dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantie. In quibus verbis & principium illud, & conclusio intenta, & ratio conclusionis contineri videntur. Est autem ratio, quia potentia specificantur per actus: ergo potentia ad recipiendam formam accidentalem sumit speciem suam ab actu ad quem ordinatur: ergo illa potentia non potest esse substantia. Simili enim ratione probauimus supra potentiam materię non esse accidens, sed substantiam: & proportionali discursu concludi potest, potentiam ad recipiendam qualitatem esse in genere qualitatis. Ex qua ratione aliqui extendunt illud principium ad potentiam actiuam, & receptiuam: vnde generatim inferunt, potentiam ad actum accidentalem esse accidens, & referri ad idem genus.*

Substantia se ipsa immediata causa materialis accidentium.

HÆc vero sententia, quantum ad rem præsentem attinet, defendi non potest, nisi fortasse in sensu verborum æquiuocatio sit. Dico ergo substantiam per se ipsam absque additione alicuius rei realiter distinctæ, vel alicuius modi ex natura rei diuersi, posse esse causam materiale immediate in se recipiendam aliquid accidens. Probatur prior pars, quia si substantia recipit quantitatem, verbi gratia, mediante aliqua re distincta, quæ sit potentia ad recipiendam quantitatem, interrogo, an illa res sit substantia, vel accidens. Substantia esse non potest, tum quia alias non esset res ultra totam substantiam rei: tum etiam, quia iam poneretur substantia per se ipsam receptiua accidentis. Si est accidens, ergo est in aliquo subiecto proximo; quæro ergo, an illud sit potentia accidentalis realiter distincta, vel ipsamet substantia: si hoc posterius dicatur, habemus intentum. Si vero dicatur prius, de illo accidente iterum redibit quæstio, & ita in infinitum procedemus, nisi in ipsa substantia tandem sistamus. Et ita est re vera necessarium, nam licet substantia possit vniri alicui accidenti, medio alio, ut postea dicemus, tamen comparando substantiam ad totam collectionem accidentium, non potest illi vniri, media aliqua re, quæ non sit aut substantia, aut accidens: ergo nec esse est, ut aliqua substantia, & aliquid accidens immediate vniantur, id est, nulla mediante re distincta ab extremis vnitis. Ratio denique à priori ex eo sumi potest, quod accidens adiicitur substantiæ creatæ ad perficiendam illam, & supplendum id, quod talis substantia per se ipsam habere non potest: ergo necesse est, ut in entitate talis substantiæ intime includatur capacitas ad recipiendam accidentia: ergo hæc capacitas substantiæ, quæ est receptiua accidentium, ut sic, non potest esse res distincta ab ipsa substantia: vnde quoad hanc partem conclusio posita euidenter videtur.

In altera vero parte, de modo ex natura rei distincto, imprimis non agimus de modo vnionis actualis, de quo supra dictum est, sed de modo (ut ita dicam) potenciali, seu de potentia aliqua ex natura rei distincta à substantia, tanquam modo, & non tantumquam

quam re omnino diuersa. Et sic applicari fere potest discursus factus: nam etiam illa potentia modaliter distincta erit verum accidens, nam si esset substantia, falso diceretur distincta ex natura rei à tota rei substantia: ergo per se ipsam inest suo modo substantia, & ab ea pendet in genere causa materialis: ergo ab illa recipitur immediate per propriam entitatem substantialem. Deinde ficta est in presenti hæc distinctio ex natura rei, seclusa distinctione reali, nam hæc capacitas recipiendi primum accidens, (vt sic dicam) ita est intima substantia creata, vt inseparabilis ab illa sit, etiam per potentiam absolutam Dei, nam hoc ipso quod substantia angeli, verbi gratia, talis est essentialiter, per se ipsam capax est intellectus potentia: & quamuis demus posse Deum separare intellectum Angeli à substantia eius, necessario intelligimus semper manere illam substantiam capacem intellectus, & quantumuis nudam Deus conferuet illam substantiam, impossibile est, quin maneat capax suæ naturalis facultatis intellectus: & eodem modo intelligimus comparari substantiam compositam ex materia & forma ad quantitatem, nam per se ipsam est capax eius, nec potest hac capacitate priuari, etiam si à tali substantia separaretur omnis res, aut modus, qui ab illa separabilis est: ergo falso confingitur distinctio ex natura rei inter talem capacitatem & substantiam.

VI.
Caietanus
restringit
nostra opposi-
tum sen-
tentiam

Improbatur
Caietani li-
mitatio.

Vnde Caietanus 1. part. q. 54. artic. 3. cum ex parte adhaereat priori sententia citata, eam limitat ad ea accidentia quæ media aliqua actione & passione acquiruntur, nam ea quæ sunt congenita substantia, non indigent potentia media, sed substantia ipsa per se ipsam est capax illorum: atque hoc modo euitat processum in infinitum. Ratio autem huius distinctionis & limitationis, quæ ex eo colligitur in eadem 1. part. questio. 77. artic. 1. est, quia potentia congenita substantia est essentialiter potentia, ad hoc principaliter ordinata, vt actum recipiat: quod verò sit actus substantia, solum habet ex communi ratione accidentis, & ideo non requirit aliam potentiam qua mediante inhaereat substantia: alia verò accidentia primo ac per se sunt actus, & ideo proprias requirunt potentias, quibus mediantibus inhaereant substantia. Veruntamen ex hac doctrina in primis colligo, ex vi causalitatis materialis accidentis, vt sic per se non requiri potentiam mediam, sed substantiam per se ipsam esse sufficientem ad hanc causalitatem. Hoc patet, quia ad recipiendam illam accidentia quæ sunt essentialiter potentia receptiua, non requiritur alia potentia: quia hæc potentia non actuant substantiam, secundum aliquam specialem rationem actus, sed ob communem rationem accidentis: ergo ex vi causalitatis accidentis, vt sic non requiritur talis potentia, sed si in aliquibus requiritur, erit propter aliquas speciales rationes. Deinde falso hoc limitatur ad ea accidentia: quæ per se primo instituta sunt vt sint potentia receptiua: nam quantitas non requirit in substantia potentiam mediam, per quam recipiatur, vt probatum est, quia substantia per se ipsam est capax quantitatis, & superfluum est ac plane absurdum aliam fingere potentiam mediam, ex natura rei distinctam: & tamen quantitas non est per se primo instituta, vt potentia receptiua, vt ipsi etiam faterentur, alias quantitas essentialiter esset qualitas. Vnde quantitas per se primo instituta est ad extendendas partes penetrare. Inde vero consequenter habet, vt sit medium ad recipiendam quædam alia accidentia: ergo non solum illa accidentia, quæ sunt per se primo instituta, vt sint potentia receptiua, sed etiam alia, quæ ob quamcunque rationem habent immediatam habitudinem ad substantiam, non requirunt potentiam mediam, vt ab ea recipiantur, seu materialiter causentur.

Imo verò agdo, nullam fortasse reperiri potentiam accidentalem purè receptiuam re ipsa distinctam à substantia: vt potest breuiter inductione ostendi. Nam in substantiis corporeis inanimatis, nulla est potentia receptiua accidentium præter quantitatem, vt partim ostensum est, partim ex sequentibus magis constabit: quantitas autem, vt dixi, non est per se primo potentia receptiua, sed est forma dans substantia materiali hanc corpoream molem, & extensionem, ratione cuius apta est locum occupare. In rebus autem viuentibus vt sic, non agnoscimus potentias aliquas pure passiuas, nam omnes, quæ conueniunt viuentibus vt viuencia sunt, sunt aliquo modo actiue: quod etiam in substantiis angelicis considerare licet: ergo præcise ob recipiendam accidentia, non oportet fingere in substantia potentias distinctas, nisi aliunde necessitas oriatur.

Ex quo vterius concluditur, illam limitationem seu distinctionem de accidentibus congenitis, seu transmutabilibus non esse formalem, nec in vniuersum veram. Primum patet, quia si substantia per se ipsam potest esse capax accidentis vt sic, etiam poterit esse capax mutationis ad tale accidens, si fortasse illud separabile sit. Quod si sit inseparabile, illud est per accidens, & materiale quid respectu causalitatis substantia. Secundum patet, quia quantitas, iuxta communem sententiam, est accidens quod transmutatur, & per proprium motum acquiritur: & nihilominus non requirit in substantia potentiam ab illa distinctam. Item, præsentia localis seu vbi est modus accidentalis, qui interdum afficit immediate ipsam substantiam, vt clarius patet in substantia spirituali: & est suo modo verum in materiali, vt infra suo loco dicemus: & tamen illud accidens potest per propriam mutationem acquiri, & perdit. Item, si verum est relationem similitudinis, vel identitatis specificæ esse aliquid ex natura rei distinctum à subiecto & fundamento, tale accidens non requirit in substantia specialem potentiam, & tamen non est congenitum, sed amitti potest, vel de nouo relutare. Restat ergo vt absolute dicamus, ad causalitatem materiale substantia circa accidens, siue in ea sit per modum potentia passiuæ, aut actiue, siue per modum simplicis formæ, vel dispositionis, seu quantitatis, aut alterius modi accidentis, siue congeniti, siue aduentitij, per se, & ex vi harum generalium rationum præcise sumptarum, non esse necessariam ex parte substantia specialem potentiam ex natura rei ab illa distinctam.

Improbatur prior sententia.

Atque hinc infero, accidens non semper requirere in substantia potentiam receptiuam proprie pertinentem ad suum prædicamentum, immo raro id accidere nisi in aliquibus accidentibus propter peculiare rationes. Hoc plane inferitur ex præcedenti assertionem. Et declaratur amplius inductione, nam in substantia spirituali tantum sunt accidentia pertinentia ad intellectum & voluntatem, & quæ locum respiciunt. Loquor naturaliter, vt omittam ea quæ per diuinam gratiam seu virtutem fieri possunt. Quamquam, si aliquid donum gratia potest poni in substantia spirituali, quod non sit in intellectu, nec in voluntate, vt re vera potest, illud non supponit in substantia potentiam eiusdem generis, nam illud donum est qualitas: capacitas autem obedientialis non est qualitas, sed ipsamet substantia animæ: vt ex Theologia constat. Accidentia ergo, quæ pertinent ad motum, vel præsentiam localem, non supponunt in substantia potentiam pertinentem ad Prædicamentum Vbi, vel Actionis, aut passionis: qualiter enim concipi, aut quo fundamento fingi potest talis potentia? cum ratio potentia, si propria sit, pertineat ad qualitatem: si vero

vero sumatur latè, fit quasi transcendens, & ratio quædam intime inclusa in variis rebus diuersorum prædicamentorum, & ita fit in proposito, nam substantia spiritualis per se ipsam est capax talis præsentia. Intellectus autem & voluntas absque ulla dubitatione non supponunt in substantia potentiam aliam de genere qualitatis, vt probatum est. Actus vero harum potentiarum insunt substantiæ medijs ipsis potentijs, quamuis de modo sit controversia infra tractanda sect. 4. tamen id provenit ex propria ratione inuenta in talibus actibus, vt ibidem dicemus. Et adhuc est sub iudice lis, an tales actus sint eiusdem prædicamenti cum ipsis potentijs: aliqui enim eos collocant tantum in genere actionis. Et licet verum sit esse qualitates, & supponere potentiam quæ sit qualitas, tamen id non provenit ex illa generali ratione, sed ex peculiari causâ & natura.

De accidentibus vero substantiæ corporeæ omnes farentur inter accidentia habentia propriam entitatem re ipsa distinctam à substantia, primum accidens talis substantiæ esse quantitatem, quæ non supponit in substantia aliquam potentiam, quæ ad prædicamentum quantitatis pertineat, vt à fortiori probât omnia quæ hæcenus diximus. Ipsa verò quantitas, est medium seu potentia, per quam hæc potentia recipit qualitates corporeas, & similia accidentia: at quantitas non est potentia pertinens ad prædicamentum qualitatis, vt per se notum est. Nec vero inter superficiem, v. g. & albedinem fingi potest mediare aut intercedere potentiam aliquam de genere qualitatis, per quam superficies recipiat albedinem: quod etiam probant argumenta hæcenus facta, quia talis potentia, si in re non est distincta à superficie, non potest esse vera qualitas: fingere autem illam esse distinctam, vel vt rem, vel vt modum ex natura rei diuersum & superfluum est, ac sine fundamento, & vel procedendum erit in infinitum, vel si sistendum est in intrinseca capacitate superficie, qua per se ipsam est receptiva illius potentie, verius dicitur sistendum esse in eadem intrinseca capacitate superficie, qua per se ipsam est immediate receptiva albedinis, & tollitur de media illa inintelligibilis, & minime necessaria potentia. Si igitur constât, potentiam per quam substantia recipit a cidentem, non semper pertinere ad idem prædicamentum cum accidente recepto. Et ratio à priori est, quia ex accidente & subiecto non oportet fieri vñ per se, sed per accidens: & ideo non requiritur, quod talis potentia, & actus pertineant ad idem genus: vnde nec necesse est, vt talis potentia sit per se inituta, & ordinata ad talem actum.

Dices, his argumentis recte probari potentiam receptivam accidentis, non esse semper proprie ac directe in eo prædicamento, in quo est accidens receptum, non vero probari non collocari in illo saltem reduciue, quod solum asserunt authores prioris sententiæ; nam cum accidens dicat intrinsecum ordinè ad subiectum, quatenus est capax ipsius accidentis, necesse est, vt subiectum secundum eam capacitatem reducatur ad prædicamentum accidentis. Propter hanc euasione ininuauimus superius, posse in hac questione esse æquiuocationem in verbis, nã si solum sit sensus, substantiam vel quantitatem conceptam à nobis sub formalitate capacitatis talis accidentis reduci quodammodo ad prædicamentum illius accidentis tanquam quoddam additum, per quod definitur tale accidens, sic controuersia est de modo loquendi aut concipiendi nostro: nam secundum rem nulla vera potentia addit media inter substantiam & quantitatem, vel inter quantitatem & qualitatem, sed solum quædam denominatio, vel conceptio respectiva. Nos autem loquimur de reali & vera potentia, de qua loquitur D. Thom. cum ait, potentiam & actum reuocari ad idem genus: alias

non bene inde concluderet, potentias animæ esse res distinctas ab anima, quod illis locis intendit: & eodem sensu loquitur Caietanus, qui propterea adhibuit limitationes, & distinctiones supra citatas. Commentator item in eodem sensu loqui videtur cum dicit, potentiam & actum esse differentias oppositas diuidentes singula prædicamenta.

Declaratur axioma: *Actus & potentia sunt in eodem genere.*

Quomodo ergo intelligendum est illud Axioma: *Actus & potentia sunt in eodem genere?* reiciendumne omnino est, ne sententiæ à nobis posita, & resolutioni data obstat videatur? Respondetur in primis, axioma illud non recte fundari in Aristotele 12. Metaph. nam ibi solum asserit res omnium prædicamentorum habere eadem principia secundum proportionem seu Analogiam, nunquam vero ait omnia illa principia in eodem prædicamento collocari, imo ponens exempla ait, in coloribus album esse principium vt formam, nigrum vt priuationem, superficiem vt materiam: & in illuminatione lumen esse formam, tenebras priuationem, aerem subiectum: & in sanatione sanitatem esse formam, morbum priuationem, corpus materiam, in quibus exemplis nunquam assignat potentiam, quæ debeat esse eiusdem prædicamenti cum forma: non ergo dixit Aristoteles materiam & formam pertinere semper ad idem genus, quamuis dixerit res omnium generum posse habere aliquo modo principium formale & materiale. Vnde ibidem ait, res omnium generum habere causam efficientem seu mouentem, non tamen dicit aut sentit, illam causam pertinere ad idem genus cum re effecta. Neque obstat Soncinatis replica, quod causa efficiens est extrinseca, & ideo non oportet esse eiusdem generis: materiale autem principium est intrinsecum, quod debet esse eiusdem generis. Respondeo enim materiale principium accidentis, si ad totum compositum comparatur, esse intrinsecum illi, non tamen esse illud compositum vt sic propriè in vno genere, cum sit vñ per accidens, & constet ex rebus diuersorum generum: si vero comparatur ad formam accidentalem, non esse principium intrinsecum eius, id est, illam intrinsece componens, sed solum per modum additi, seu subiecti, cui forma accidentalis vñitur. Hoc autem principium non est necessarium eiusdem generis cum forma, in accidentali compositione.

Hinc Scotus in 2. distinct. 16. q. 1. respondet, axioma illud intellectum de potentia receptiva, & actu eius, esse falsum, & asserit contra illud instantias à nobis ininuatas de substantia & accidente, de superficie & colore, &c. Et similiter docet, esse falsum intellectum de potentia actiua & actu eius, nam etiam habet claras instantias, præsertim in potentijs, quæ agunt actione transiente, siue comparentur ad actionem, vt actio est, quia manifestè pertinent ad diuersa prædicamenta: siue ad rem seu formam factam, nam potentia secundum locum motiua est qualitas: efficit autem vbi, seu præsentiam localem, & potentia augmentatiua est qualitas, agit autem quantitatem aut substantiam. Dicit ergo axioma illud esse intelligendum de potentia obiectiua. Quam interpretationem multi reiciunt inuoluendo acriter hanc potentiam obiectiuam. Sed quoad hoc existimo de nomine, & æquiuoce hoc cum Scoto disputare: nam ille non intelligit per potentiam obiectiuam aliquam veram rem, quæ sit actu in rerum natura, quo sensu sola potentia actiua vel passiua est potentia realis, vñ infra dicam latius, tractando de essentia creaturæ, & declarando speciem qualitatis quæ est potentia: sed per potentiam obiectiuam intelligit Scotus, rem in statu pot-

XII.
Quæstio
Scoti expli-
cet dictum
promissum
tunc.

Quid obiectiua potentia
ita apud Scotum.

Eb 4 libelli

sibili antequam actu sit, quomodo dicimus rem esse in potentia antequam sit: & quia res, ut est possibilis, est obiectum potentiae actus, ideo dicitur ab Scoto esse in potentia obiectiva. Atque ita dicit hanc potentiam & actum esse eiusdem generis, quia res possibilis, & res in actu eiusdem generis sunt; imò dicere etiam posset, esse eandem rem negativè (ut a- iunt) quia non sunt duae res, sed eadem, in diversis statibus concepta. Quocirca res quam Scotus in ea interpretatione intendit, vera est, non tamen recte accommodatur illa interpretatione authoribus qui ante Scotum illud axioma docuerunt: Aristoteles enim ut ex dictis patet, nunquam in eo sensu locutus est, nec Averroes, qui loco citato ait potentiam & actum esse differentias oppositas, & cum 9. Metaphysica in principio varias numeret potentiae acceptiones, nunquam fecit mentionem illius potentiae obiectivae.

XIII.

Dicendum ergo est, axioma illud communiter intelligi de propria potentia receptiva, vel activa. Ut autem verum sit, intelligendum in primis est de potentia per se primo instituta & ordinata ad talem actum: non vero de potentia vel capacitate intrinsece inclusa & quasi concomitante aliquam entitatem absolutam. Declaratur hoc, nam duobus modis intelligi potest, quod aliqua virtus tam activa, quam receptiva, comparatur ad actum. Vno modo, quia ex primaria ratione & essentia sua ordinata est ad talem actum: sic materia est potentia ad formam, ut supra declaratum est, sic gravitas est virtus activa ad efficiendum motum deorsum, vel permanentiam in ipso loco deorsum: sic denique intellectus est virtus activa, & receptiva intellectus. Huiusmodi erga potentia dicitur per se primo instituta propter actum, & ideo ab illo sumit speciem: & de illa ad summum potest axioma illud verificari modo statim declarando. Alio vero modo potest aliqua entitas habere vim vel capacitatem ad aliquam actionem vel actum, non quia propter illum primario sit instituta, sed quia vel ob eminentiam naturae suae, vel ob naturalem conditionem, aut modum essendi quem habet, quali concomitanter, vel potius connaturaliter habet per se ipsam talem vim, vel aptitudinem. Sic Deus habet omnipotentiam agendi: sic etiam creatura intellectualis habet & capacitatem, & vim activam obedientiam supernaturalium actuum vel donorum: sic denique substantia materialis est capax quantitatis: & quantitas ipsa est capax qualitatum. Et in hoc posteriori genere potentiae vel capacitatis non est necesse potentiam seu capacitatem & actum esse in eodem genere: quia cum talis potentia non sit ordinata per se primo ad actum, nec sumat ab illo speciem suam, nec componat cum ipso actu unum per se, non est cur talis potentia & actus in eodem genere collocanda sint. Nec D. Thom. unquam de hoc posteriori genere potentiae, sed de priori locutus est: & de eodem exponendus est Averroes, si eius dicta defendere necesse sit: Nec ratio in contrarium facta plus probat: unde per haec sufficienter responsum est fundamentis contrariae sententiae.

XIII.

Ut vero principium illud exacte maneat declaratum, addere oportet duobus modis intelligi posse, potentiam prioris ordinis & actum esse eiusdem generis. Primo, ut genus late sumatur pro generalibus rationibus substantiae, & accidentis, ita ut potentia per se ordinata ad actum substantialem, sit substantialis, ad accidentalem accidentalis: non vero quod in rigore necesse sit potentiam & actum esse eiusdem praedicamenti accidentis, quamvis in substantia id verum sit, eo quod substantiae tantum est unicum praedicamentum: Et haec expositio multis placet, quia evitat difficultates. Alij vero etiam in accidentibus volunt potentiam huiusmodi, & actum eius ad idem praedicamentum in rigore pertinere, quia

alias non est in rigore verum, potentiam & actum esse eiusdem generis. Sed hoc in univ ersum defendere difficile est, praesertim in potentiis actibus. Quapropter probabiliter dici potest potentiam passivam accidentalem (nam de substantiali iam satis dictum est) quando ex primaria institutione visus essentiae ordinata est ad actum, sub eodem genere & praedicamento cum suo actu contineri. Et de hac potentia videtur loqui Divus Thomas, & Commentator citatis locis: sub potentiis autem passivis potentias animae comprehendimus, quae licet actus etiam sint, simul tamen sunt passivae, & in passionem ac receptionem seu informationem habent consummatam perfectionem suam. Hoc autem modo explicata haec assertio probari potest inductione in omnibus his potentiis, nam habitus, & actus earum in eodem genere in rigore collocantur: licet enim actio ut actio pertineat ad praedicamentum actionis, tamen ut actus vitalis habens esse consummatum & perfectum in suo genere, collocatur in praedicamento qualitatis: quando autem potentia comparatur ad actum, & ad idem genus pertinere dicitur, non est comparanda ad actum in fieri, sed ad actum perfectum & consummatum: ad illum enim per se primo ordinatur, & ab illa speciem recipit. Et ita nullum invenio exemplum, in quo hac regula deficiat. Ratio autem reddi potest, quia quando potentia receptiva per se est ordinata ad actum, & comparatur ad illum ut imperfectum ad perfectum in suo genere, & quodammodo per se unum videtur in illo ordine constitui cum suo actu, ut potentia intellectiva cum actu intelligendi per se coniungitur, & sic de aliis: & ideo oportet ut talis potentia & actus sub eodem genere collocentur, ut ita etiam inter se maiorem proportionem servent.

At vero in Potentiis actibus, etiam si sint per se primo ordinatae ad agendum, non videtur necessarium quod potentia & actus sub eodem genere in rigore contineantur. Nam si per actum huius potentiae intelligamus actionem ut actio est, constat potentiam & actionem ad diversa praedicamenta pertinere. Neque vilius momenti est quod quidam aunt, potentiam & actionem, directe quidem & per se, ad diversa praedicamenta pertinere, tamen per reductionem, & potentiam collocari in genere actionis, & actionem in genere potentiae: quia habent inter se mutuum habitudinem transcendentalem: terminus autem habitudinis reducitur ad praedicamentum relati. Hoc (inquam) nil refert, quia haec reductio solum est secundum extrinsecam denominationem, quam includit terminus ut terminus est: nos autem loquimur de collocazione sub uno genere secundum propriam naturam & essentiam eius. Hoc enim sensu necesse est loquantur authores, cum dicunt potentiam & actum esse sub eodem genere: alias non recte inde concluderent materiam, v. g. esse intrinsece substantiam, quia est potentia ad substantiam: & intellectum esse qualitatem, quia est potentia ad actum accidentalem & vitalem, &c. Potentia ergo activa comparata ad actionem suam, ut actio est: non constituitur sub eodem genere, si autem per actum huius potentiae intelligamus terminum formalem actionis eius, non est necesse collocari in eodem praedicamento, ut probat exemplum supra adductum de gravitate, quod in univ ersum adduci potest de potentia secundum locum motiva, siue sit progressiva, siue attractiva, siue expulsiua, aut impulsiva, vel impulsus ipse, quem multi existimant esse qualitatem, & tamen non ordinatur ad faciendam qualitatem, sed motum, vel ubi. Et ratio reddi potest, quia potentia activa ut sic non ordinatur ad actum, ut imperfectum ad perfectum, neque ut cum illo componat aliquid per se unum, sed ut causa extrinseca ad effectum fieri aut potest, ut causa activa non sit eiusdem rationis aut generis cum effectu, sed

sed eminentioris: & ideo non est necesse ut in eodem predicamento cum suo actu colloquetur. Quamquam necessarium videatur, si actus maxime proprius talis potentiae sit accidentaliter, etiam potentiam ipsam esse accidentalem, quia substantia ut sic non ordinatur per se primo ad accidentalem actum: erit ergo talis potentia accidens, quamvis sub nobiliori genere accidentis colloquetur.

XV. Dices, interdum potentiam accidentalem ordinari per se primo ad producendam substantiam, ut potentia nutritiva & generativa. Respondeo primo non dum esse exploratum, neque à nobis tractatum, quomodo accidentia attingant productionem substantiae: nam si solum attingunt disponendo materiam, cessat difficultas: si vero immediate etiam efficiunt, & introducunt formam substantialem, dicendum est non attingere substantiam nisi instrumentaliter. Non attingunt autem instrumentalem actionem nisi praeuia alia actione connaturali, & maxime propria, quae semper est accidentalis, & respectu illius verificandum est talem potentiam & actum esse eiusdem generis, nam altera actio instrumentalis, licet fortasse sit à natura principaliter inuenta, respectu tamen talis potentiae non est ita propria & accommodata ut ei committatur natura talis potentiae seu qualitatatis. Imo hinc obiter colligere licet extra potentias loco motivas omnem aliam potentiam per se primo ordinatam ad agendum, collocari in eodem predicamento cum suo actu proprio seu termino actionis suae: nam talis potentia semper est qualitas, nihilque efficit nisi praeuia aliqua propria actione tendente ad qualitatem, nam, ut dixi, licet efficiat instrumentaliter substantiam, vel etiam quantitatem, semper id efficit praeuia aliqua actione propria tendente ad qualitatem: ad aliam autem predicamentum praeter ubi, non est per se actio, sed semper resultat ex termino alterius actionis. Atque ita sit ut omnis potentia activa accidentalis praeter motuam ordinetur ad qualitatem aliquam efficiendam, per actionem maxime propriam, licet fortasse mediantem illa possit ad res aliorum predicamentorum ordinari saltem ut instrumentum. Atque haec dicta sunt in explicationem illius axiomatis, Potentia & actus sunt sub eodem genere.

SECTIO III.

Quamam substantia possit esse causa materialis accidentium.

I. **Q**UOD dictum sit primariam causam materialem accidentis esse substantiam, ad perfectam huius causae expositionem, necessarium est declarare, quoniam substantia possit hanc causalitatem exercere. Suppono autem hic non esse quaestionem de substantia increata, quam constat non esse capacem accidentis, & discurrendum breviter erit per omnes creatas. Inter quas quaedam sunt simplices, aliae compositae: de quibus, & de partibus componentibus ipsis, esse potest controuersia. Ut ergo quae dubitationem habent tractemus, ea quae certa sunt breviter praemittamus.

II. Primo ergo certum est, substantias simplices per se subsistentes esse sufficientes ad recipienda seu materialiter causanda accidentia sibi proportionata. Hoc constat in omnibus substantijs spiritualibus creatis: de his enim est sermo. Omnis enim substantia creata, quia potentialis est, & imperfecta, capax est accidentium. & ad ea sustentanda sufficit ei, habere per se subsistentem, si aliqui sit capacitas. Cum autem dicimus has substantias esse per se sufficientes ad hoc, non excludimus, quin possint causare materialiter unum accidens mediante alio, ut sequente sectione dicemus, sed respectu collectionis omnium suorum

accidentium dicimus per se sufficere, & non indigere alio adminiculo praeter suam substantiam, & subsistentiam propriam.

III. Hinc secundo est etiam certum formam subsistentem, etiam si sit incompleta substantia, & actus corporis, esse sufficientem causam materialem aliquorum accidentium, quae illi proportionata sunt. Hoc constat in anima rationali non solum à corpore separata, sed etiam coniuncta: & ratio est eadem fere quae de substantijs angelicis. Nam quod substantia animae incompleta sit, non impedit quo minus sustentare possit aliqua accidentia, cum per se esse possit, & à subiecto ipso non pendeat: Ex quo à contrario sumpto argumento constat, & est etiam certum, formas substantiales quae naturaliter subsistere non possunt, ineptas esse ad causanda materialiter accidentia per se solas: quia quod in se non subsistit, non potest aliud sustentare: formae autem hae non sunt capaces propriae subsistentiae, etiam partialis, ut postea dicemus. An vero simul cum materia subsistent accidentibus, paulo post videbimus. Solum posset quis dubitare de nonnullis relationibus, verbi gratia, unionis, aut similitudinis, &c. quae videntur subiectari in his formis. Veruntamen probabilius est has relationes non addere rem distinctam à substantia, vel modis substantialibus formae. Item probabile est entitatem talis formae, ut sustentatam suo modo in materia, esse capacem alicuius formae aut modi accidentalis, eo modo quo de ipsis accidentibus in sequenti explicabimus.

IV. Hinc etiam obiter constat, quid dicendum sit de partibus integralibus substantiae: non est enim dubium, quin eo modo quo sunt & subsistunt, possint materialiter concurrere ad esse accidentium; nam possunt illa in se recipere & sustentare, ut inductione constat. Et quidem si partes istae sint actu diuise à toto, & solum dicantur partes propter habitudinem ad illud, constat in re esse veras substantias subsistentes, ideoque posse accidentia sustentare, ut de sanguine ferre omnes censent. Si vero sint proprie continuata alijs partibus, proprie non dicuntur subsistere in se, sed in toto: & hac ratione ab accidentibus quae in eis insunt, solet interdum denominari totum, ut homo dicitur crispus, nihilominus tamen tota causalitas materialis quae ibi interuenit, exercetur per eam partem in qua accidens inhaeret: & eadem durabit, si talis pars secundum totam suam substantiam separata conferuetur.

Quantitas an insit materiae.

V. **S**OLUM ergo superest quaestio de materia prima, & de integra substantia composita ex materia & forma: nam de materia quaestio est, an per se ipsam possit materialiter & immediate causare aliquam formam accidentalem: & quae fere coincidit cum communi quaestione, an & quomodo possit materia esse subiectum accidentium. Quae ut breuius & distinctius tractetur, tota est reuocanda ad quantitatem, nam nunc non agimus de relationibus vel modis accidentalibus, de quibus postea obiter dicemus, quia nihil ferre habent dubitationis, sed agimus de proprijs formis accidentalibus realiter distinctis à substantia: inter quas primum locum obtinet quantitas, & aliae insunt mediante illa, ut dicemus sect. sequenti. Vnde in quo subiecto fuerit quantitas, erunt reliquae corporae qualitates.

Sententia negans quantitatem inesse materiae.

VI. **S**UNT ergo in hac re duae oppositae sententiae valde communes. Prima est dicentium, materiam per se non habere entitatem sufficientem ad causandum materialiter aliquod accidens, sed indigere prius conjunctione ad formam substantialem, ut ex utraque resultet

III.
Substantia
liu forma
subsistens
sufficiens
materia accidentium.

IV.
Partes integrales, accidentium
sufficientia
receptivum.

V.

VI.